



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De deuotione Sancti Daudid regis in oratione. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

mouetur. Ne ergo mala subito irruant & maculent, sacra verba tanquam munda grana cordi tuo inferre, & ea diligenter reuoluendo in cibum conuerte. Quidnam tot bona verba dicas & ores; quot otiosa dixisti; & tot bona recogites & ruminas, quot mala & noxia cogitasti. Aperi cor tuum Christo, & claude diabolo, ut sit anima tua in caelo & non in saeculo. Loquitur tibi Christus in omni verbo Dei, & in omni libro scripto digito Spiritus sancti. Quaecunque enim in scripturis sanctis legis, scribis, & intelligis, solatia sunt animae fidelis in tribulatione, & remedia contra diaboli venena, & reuocant cor vagae mentis ad Deum suum in caelum.

## CAPVT VII.

*De breuitate omnis rei sub caelo.*

**V**anitas omnis homo viuens. Hodie homo est, & cras non inuenitur. Perit diues, perit pauper; perit iuuenis, perit senex. Perit pulcher, perit niger; perit doctus, perit indoctus. Perit magnus, perit paruus; perit nobilis, perit ignobilis. Perit dominus, perit seruus; perit praelatus, perit subditus. Perit honoratus, perit refutatus; perit magister, perit discipulus. Perit clericus, perit laicus; perit canonicus, perit monachus. Perit theologus, perit astrologus; perit medicus, perit in omni arte peritus. Ecce omnia pereunt, praeter amare Deum, & iuste viuere. Psal. 38.

## CAPVT VIII.

*De deuotione sancti David regis in oratione*

**Q**uis enim in omnibus sicut David fidelis, pergens ad imperium regis caelestis? Hic in die fuit miles fortis in bello, bello contra hostes suos; & in nocte deuotus monachus, orando cum gemitu & lachrymis pro peccatis suis commissis. Maxime autem regratiabatur Deo pro innumeris beneficijs sibi specialiter datis, & omnibus creaturis generaliter collatis; quas ad gloriam sancti nominis sui mirabiliter creauit & ornauit. Et ne de bonis acceptis superbirer, ait Deum laudando: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Et ne in aduersis deficeret, ait: *Adiuutor meus esto Domine, ne derelinquas me.* Et ne unquam ingratus esset, ait: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in saeculum.* Psal. 113.  
Psal. 26.  
Psal. 117.

## CAPVT IX.

*De paupertate spiritus propter Christum.*

**T**anquam nihil habentes in hoc mundo, & omnia possidentes cum Christo. O sancta paupertas spiritus, super omnes diuitias mundi. I. Cor. 6.

Bbb

mundi